



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

De Legatis, De Successionibus Ab Intestato, De Renvnciationibus

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1690

Summa Sive Compendium Eorum, quæ in foro magis practicabilia continentur in hac Part. I. de Legatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74076](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74076)

cundarum nuptiarum dotem teneri habetur, ita pariter, & in presenti; Maxime ubi agitur de subsidio debendo incertis de certis, ex aliqua particulari ratione sanguinis, vel affectionis, ob verisimilem disponentis voluntatem; Ubi enim agitur de subsidio dando incertis de incertis, non ita de facili hoc admittendum est, saltem ob contrariam communem observantiam, à qua, etiam non resistente disponentis voluntate, vel particulari Statuto, non crederem rationi incongruum esse, ut aliquando recederetur, ut supra observatum est.

Benè verum, quod hoc tertium temperamentum, in sola æquitatis ratione fundatum, admittendum videtur, non militante altera æquitate, in contrarium, atque sine præjudicio aliarum puellarum; Si enim agatur de monte alicujus familiae, cui post præstitas dotes omnibus puellis tunc existentibus, super sint reditus, tunc pro isto subsidio videtur omni ratione prædictæ æquitati locum fore; Secus autem ubi, ob dotem viduæ præstandam, cessaret subsidium alterius puellæ nu-

bilis, cum tunc in concursu æquitatis hinc inde, non sit recedendum à regulis juris.

An autem primæ nuptiæ nullæ, nuptiarum nomen, ac effectum mereantur, adeo ut sequentes dicendæ sint secundæ, vel primæ; Negat Sanchez, *dist. de diffinit.* 91. num. 56., quoniam non entis nullæ sunt partes ad text. in l. dotis 68. de Jur. dotium; In contrarium verò urget text. in l. hæc conditio ff. de condit. & demonstr. ubi disponitur, ut per inutiles nuptias illarum conditio, licet non impleta, adhuc tamen defecta sit; Verum non videtur recedendum à priori sententia, quoties nullitas non proveniat ex culpa, vel delicto, adeo ut mulier reddatur æquitate indigna; Secus autem ejus culpa accedente, nè aliàs melioris conditionis dicatur contrahens criminosas nuptias, & illicitas, quam licitas, & honestas; Atque iste, inter plures intellectus, quos habet text. in distal. Hæc conditio bene congestos per Arias de Mesa lib. 2. variar. c. 40. ex n. 15., videtur ex littera textus, & ex glos., ac Doctoribus verior; Ut nempe procedat de summo jure, secus autem de benignitate.

S V M M A

S I V E

COMPENDIVM

Eorum, quæ in foro magis practicabilia continentur in hoc Lib. XI. Par. I. de Legatis.

I.

De legatorum validitate, eorumque operatione, comprehensione, & interpretatione, à numer. 1. ad 32.

II.

De legatorum privilegijs, & effectibus, ac etiam de remedijs, & actionibus, pro eorum assequutione competentibus, à numer. 32. ad 42.

III.

De legatorum diminutione, seu contributo, quando hæreditas omnibus idonea non sit, ac de falcidiæ detractione; Et de ademptione, vel alia cessatione, seu caducatione, vel caducitate à numer. 42. ad 67.

IV.

De legatis pijs, eorumque privilegijs; Et de legatarii capacitate, vel incapacitate; Et de facultatibus exequutorum testamenti, ac illorum, qui sint de jure exequutores, ut sunt Episcopus, vel Fabrica S. Petri, & de istius facultatibus, à numer. 67. ad 78.

S V M M A R I V M.

I.

- 1 Quando existente valido, ac perfecto testamento corrumpantur legata.
 - 2 De Senatus Consulto Liboniano in sibi ipsis adscribentibus.
 - 3 An à validitate testamenti liceat arguere ad validitatem legatorum.
- Card. de Luca de Legat.

4 Quandoque legata debentur etiam à successoribus ab intestato, & quando.

5 Minores requiruntur solemnitates in legatis, quam in testamentis, & qua sit differentia.

6 Accessoria, sunt legata, qua tamen stare possunt sine testamento, quod est principale, & quando.

7 An pecunia numerata, & merces veniant sub legato mobilium, & de qua specie moneta legatum intelligatur.

8 Quid de legato generis, de quibus speciebus intelligatur.

9 In legato generis, cuius sit electio.

10 An possit eligi melius, vel deterius.

11 In dubio, an pro herede, vel pro legatario fieri debeat, lata vel stricta interpretatio.

12 Quis præsumatur magis dilectus, an hæres, vel legatarius, distinguitur.

13 Quando censetur de solo usufructu, vel etiam de proprietate.

14 Quando dicatur purum, vel conditionale, & quando etas, vel tempus, seu casus faciat conditionem.

15 Quid veniat sub legato domus, vel prædij &c.

16 Faciunt pluribus de annua, vel mensua prestatione, an intelligatur distributive pro singulis, vel unica summa pro omnibus.

17 An censetur ad vitam tantum, vel sit perpetuum, & transmissibile.

18 Injunctum heredi, an censetur de primo tantum, vel etiam de ulterioribus.

K 2

19. Fa-

- 19 Factum filijs, vel filiabus alicujus, de quibus intelligatur.
- 20 De legato facto illis de familia certam aetatem, vel qualitatem habentibus pro subsidio studiorum, quomodo sit intelligendum.
- 21 Certa designatio in legatis, an sit taxativa, vel demonstrativa, & quid in hoc operetur favor pia causa.
- 22 Quando res legata non est in commercio, vel est aliena, an prestanda sit aestimatio.
- 23 Factum simpliciter de aliquare, an de tota, vel de solo jure testantis.
- 24 Collatum in arbitrium, seu voluntatem an valeat, & quomodo prestandum.
- 25 Legatum usus fructus, an resolvatur in proprietatem.
- 26 Vel an importet solum alimenta.
- 27 Et an totus usus fructus debeatur, vel solum pars, alia parte debita proprietario.
- 28 Ex observantia recipit restrictionem, vel interpretationem.
- 29 De legato habitationis, vel facultatis habitandi, & de differentia.
- 30 De legato usus aliquorum bonorum.
- 31 Quod super his, & similibus non detur certa regula, & quare & c.

I I.

- 32 De hypotheca, qua competit pro legatis.
- 33 Creditores defuncti etiam in sola actione personalium vincunt legatarios.
- 34 Legatarij autem in bonis defuncti vincunt creditores heredis.
- 35 Ad quid pro sit hypotheca, de qua num. 32.
- 36 De eodem, & de beneficio separationis bonorum.
- 37 An dicta hypotheca competat pro legatorum fructibus, & accessionibus annuis.
- 38 Ratione hypotheca remanet proficuum legatum quod debitor faciat creditoris, seu pater de legitima, vel de dote.
- 39 An, & quando pro legato competat via executiva.
- 40 An pro legato debeantur fructus, vel usura & c.
- 41 An, & quando legatum censeatur factum animo compensandi.

III.

- 42 Ex quibus causis legata diminutionem patiantur.
- 43 Falcidia potest, & solet prohiberi etiam tacite.
- 44 De privilegio pia causa in hac materia falcidia.
- 45 Quando hereditas omnibus legatis idonea non est, sit diminutio par contributum & c.
- 46 Fallit ex diversa testantis voluntate etiam conjecturata, & quando haec adesse dicatur.
- 47 Quid in legatis ad pias causas, an veniant in contributum.
- 48 Et quid inter legata speciei, & illa quantitatis.
- 49 De questionibus ademptionis, vel reformationis.
- 50 An, & quando secunda dispositio sit accumulativa, vel ademptiva.
- 51 Et quid ubi in vita testator aliquid praebet legatario.
- 52 De regulis, vel propositionibus generalibus qua de super habentur, & in quos sint operativa.
- 53 De differentia inter casum caduci, & casum caducitatis.
- 54 Quando legatum dicatur conditionale, & quando modale, & de effectibus ex una, vel altera specie resultantibus.

- 55 Quando conditiones legato adjectae pro non scriptis habenda sint, ac vitentur, vel patiantur.
- 56 Quando intret retractio pro restitutione fructuum.
- 57 Quomodo dignoscatur, an praecipuum sit conditionale, vel modale.
- 58 Quando mors, vel dies, seu casus faciat conditionem, vel potius delationem continet, atque executionem percutiat.
- 59 De effectibus transmissionis, vel caducationis exinde resultantibus.
- 60 Legata fideicommissis particularibus excepta sunt, ideoque dispositio in fideicommissis legata congruunt.
- 61 An, & quando legatum capi possit propria auctoritate, vel a manu heredis capi debeat.
- 62 Onera, quibus res legata subjacet, an ad heredem, vel ad legatarium pertineant.
- 63 An in legatis debeatur evictio.
- 64 Quando legatum ab uno factum censatur in executionem voluntatis alterius.
- 65 De ademptione, qua resultat ab alienatione rei legata, & de subrogatione rei quae praetio.
- 66 An legatarius quotae bonorum concurret cum herede in supportatione onerum hereditarium; Et de cessatione legati ob cessationem legandi causam, puta tutelam, vel emancipationem & c.

IV.

- 67 In favorabilibus a legatis prophanis ad pias, intrat generale argumentum, ut quod prophanis conceditur, pijs quoque competat.
- 68 In ijs, qua voluntatis imperfectionem respiciunt, pia causa nullum habet privilegium, quod in ejusdem voluntatis interpretationem cadat.
- 69 Privilegium consistit in ijs, qua pendunt a solemnitatibus.
- 70 Vel alijs, qua a juris positivi prohibitionem vel dispositionem pendent.
- 71 De effectibus, seu privilegijs piorum legatarum.
- 72 De incapacitate legatarum, quando ad sit.
- 73 Data incapacitate legatarum, cuiusnam pium legatum debeatur, & de auctoritate Episcopi.
- 74 De facultatibus fabricae S. Petri.
- 75 De materia executorum testamentariorum remissive.
- 76 Quando etiam Religiones incapaces in communi sint capaces legatarum.
- 77 De alijs incapacibus.
- 78 De differentia inter capaces, & indignos.

I.

De legatorum validitate, & operatione, & corruptione comprehensione, vel interpretatione; Et quando sunt reservabilia, cum ratione successivo.



Testamenti validitate, ac perfectione praesuppositis, nulla cadit quaestio validitatis legatorum, quae in eo continentur; Nisi legatarij incapacitas, vel aliqua particularis circumstantia, contrarium suadeat, quia nempe error,

seu falsum praesuppositum accedit. Sive quod ad favorem scriptoris testamenti, sua manu, ac sibi ipsi legatum conscripserit, adeoq; Liboniano Senatus consulto locus fiat, ejusque non iniret limitatio. A.

His A. De materia Sen. Conf. Liboniani de sibi ad scriptis benibus sub tit. de testam. disc. 3.

De L. U. C. de testamentis. C. VI.

His etenim, vel similibus circumstantijs non accedentibus, ex quibus legatum in testamento, quamvis valido, ac perfecto contentum, inutile sit; A testamenti validitate, ad illam legatorum, quæ in eo continentur, arguere licitum est, non autem è converso, à legatis ad testamentum; Legata etenim, ab intestato etiam valere possunt, atque per testamentum hæredem quoque præstanda sunt.

Ubi nempe ex causa ex hæredationis, vel præteritionis, aut per inofficiosi querelam, testamentum corrumpat, seu aliàs, non sortiatur effectum; Quoties tamen de præteritione ignoranter, vel de exhæredatione ex falso præsupposito facta non agatur, adeo ut verisimiliter deficientis voluntatis ratio accedat, etiam legandi, eo modo quo in ipsa præteritione, vel exhæredatione viget. B.

Ac etiam quia, minor in legatis, quam in testamento solemnitas requiritur, cum istud septè idoneos testes, aliasque solemnitates, præ ejus diversa qualitate exigat, legata verò, per co-dicillos, aliasve simplicem ultimam voluntatem, cum solo numero quinque testium, non desideratis solemnitatibus, relinquuntur. C.

Hinc proinde, accessoriorum regula, non semper tuta est, ut scilicet, ea corrumpantur, principali corrumpente, quoniam, & si legata partes accessorie sint testamenti, adhuc tamen, eo corrumpente, ipsa firma remanere possunt, quoties testamenti defectus naturalis non sit, ex mentis scilicet infirmitate, vel deficientia, unde propterea in universam dispositionem, ille in fluat.

Super legatorum autem operatione, vel comprehensione, seu interpretatione, majores, ac frequentes in foro quaestiones cadunt; Puta an pecunia numerata, vel merces, aliæque, auri, & argenti pretiosa mobilia, seu debitorum nomina, sub legato mobilium cadant; Idque [neglecta opinio-num varietate in abstracto], verius est, ut certam regulam generalem, cuiusque casui applicabilem non recipiat, sed tanquam facti, ac voluntatis quaestio, ex singulorum casuum qualitate, & circumstantijs, atque voluntatis argumentis illo præsertim verisimilitudinis, decisionem recipiat; Ideoque non est sub compendio explicabile, sed in sua sede videndum est. D.

Aut de qua monetæ specie legatum, intelligendum sit, ubi plures species adsint. D.

Idemque super legato earum rerum, quæ sint generis, ad certam speciem non redacta, de quibus scilicet intelligendum veniat, adeo ut peremptio earum, quæ in hæreditate erant, legatarij periculo cedere debeat, necnè. E.

Sivè cuius esse debeat electio, an hæredis, vel legatarij; Et quatenus, uni, vel alteri competat, super modo illam faciendi, an scilicet eligi valeat melius, vel deterius respectivè, sivè potius medio ere sit eligendū; Id etenim plures recipit distinctiones præsertim circa res inanimatas, quas etiã deteriores habere expedit, & res inanimatas, quas deteriores potius expedit non habere, quam habere, cū alijs distinctionibus, de quibus pariter in sua sede videndum est. F.

Card. de Luca de Legat.

- B. Eod. tit. de testam. disc. 57. & seqq., & sub tit. de fideicom. disc. 181.
- C. sub tit. de testamen. plurim.
- D. hoc tit. disc. 4. cum pluribus seqq.
- D. hoc tit. disc. 40.
- E. hoc tit. disc. 11.
- F. hoc tit. disc. 12. & 13.

In dubio autem, circa præmissa, aliæque familia, cuius favore potius interpretatio facienda sit, an scilicet lata, & benigna, favore legatarij, ut plus obtrineat, vel stricta, & rigorosa favore hæredis, ut quò minus censeatur gravatus; Verius est, ut à prædilectione pendeat decisio; Si enim facti qualitas majorem erga hæredem suadeat prædilectionem [In dubio præsumendam], stricta fiat interpretatio, secus autem è converso, ubi ea sit major erga legatarium. G.

Quaestione cadente super hac dilectione, quando uni potius, quam alteri ejus præsumptio assiltat, ubi præsertim filiorum, & piæ causæ favor, concurrat, sive de eisdem piæ causæ concurrat, ex diverso hæredis, & legatarij titulo respectivè agatur; Idque certam non recipit regulam, cum pro facti qualitate decidendum sit; Potissimè autem, si alia urgeant argumenta, quæ simplici juris præsumptioni ex generalibus propositionibus resultantibus, præponderare debent.

Super legatorum interpretatione plures aliæ frequenter cadunt quaestiones; Præsertim an factum censeatur de usufructu tantum, vel etiam de proprietate; H. Sivè quando dicatur purum, atque ab initio perfectum, ad certum tempus, vel casum, dilata solum executione; Vel potius censendum sit conditionale, adeo ut tempus, vel casus, legati substantiam percutiat, illudque conditionale reddat, ad effectum caducationis, ac alios ex conditionali imperfecta dispositione resultantibus. I.

Aut quæ, sub alicujus domus, vel prædij legato veniant, an scilicet aliæ officinæ, aliæve prædia, quæ materialiter diversa sint, ex destinatione tamen, seu disponentis voluntate, sub ea re veniant, quæ in legatum deducta est. L.

Sivè an legatum pluribus de eadem annua, vel menstrua præstatione factum, distributive in singulis intelligendum sit, vel potius, eadem summa, inter omnes repartiri debeat. M.

Vel, an idem annuum, vel menstruum legatum, ad vitam tantum factum censeatur, vel ad hæredes, cum tractu successivo transmissibile sit. N. Aut primo tantum hæredi, non autem alijs successivè venientibus injunctum. O.

Seù circa personas, sub aliquo generico, sive collectivo nomine explicatas, quia nempe alicujus filijs, vel filiabus, certum, vel incertum subsidium relictum sit, de quibusnam intelligendum sit. P.

Sivè ubi legatum fiat illis de familia certam habentibus qualitatem, vel ad certum effectum, puta studiorum, & an sit unicum, vel rei terabile. Q.

Potissimè autem, ac frequentius disputare contingit, ubi certa designatio facta sit, unde generis, vel quantitatis legatum præstandum sit, an taxativè, vel demonstrativè facta censeatur; Et quid in hoc piæ causæ favor operetur; ac speciale habeat. R.

K 3 Atque

- G. dicto disc. 4. & seqq. & disc. 12. & seqq. & pluribus hoc tit.
- H. hoc tit. disc. 3.
- I. hoc tit. disc. 58. & 59. & disc. 3.
- L. disc. 7. cum seqq. hoc eod. tit.
- M. hoc tit. disc. 33.
- N. eod. disc. 33. & 45.
- O. hoc tit. disc. 34. & 42.
- P. hoc tit. disc. 16. & seqq.
- Q. hoc tit. disc. 36.
- R. hoc tit. disc. 14. & 27.

Atque si res legata in libero commercio, libera-
ve testantis dispositione non sit, adeo ut præstari
22 non possit, vel non debeat, an inutile remaneat legatum, vel potius in æstimatione sit adimplendum. S.

Factumque simpliciter de re, an de tota intellige-
23 dum sit, vel de ipsius testantis portione, vel jure. T.

Collatum vè ad legatarij, vel hæredis, aut tertij
arbitrium, seu voluntatem, an utile, vel inutile sit;
Et quatenus utile, quomodo arbitrium sit interpo-
24 nendum, cum similibus ambiguis dispositionibus,
claram, ac certam legem ipsius disponentis non habentibus. V.

Ut etiam contingit in ijs legatis, quæ de usufructu
25 facta sint, an scilicet de vero formali, vel etiam

26 causali, qui proprietatem importat; X. Sive ubi etiam de solo formali, an ipsum verum importet, vel

27 potius in alimenta resolvatur; Y. Scilicet an de sola portione intelligendum sit, alia portione hæredi,

28 vel proprietario reservata; Z. Vel an ab observantia interpretationem recipiat.

Idemque in legato habitationis, quando scilicet
29 veram, ac formalem habitationis servitutem importet, vel potius facultatem habitandi; A. Sive
30 in legato usus aliarum rerum, earum præsertim, quæ personæ ornamentum concernant, quomodo intelligendum sit.

Super his autem, ac similibus, ut potè facti potius,
quàm juris questionem redolentibus, certa, & determinata regula generalis, cuiuscumque casui applicabilis, non de facili statui potest, cum ex singulorum casuum qualitate, & circumstantijs, varijsque distinctionibus, decisio pendeat, ideoque proprias sedes, in casus occurrentia adire oportet. B

II.

De legatorum privilegijs, & effectibus, ac etiam de
21 remedijs, & actionibus pro eorum assequutione competentibus.

Illud præcipuum legatis à jure novo privilegium
concessum est, quod lex antiqua non concedebat,
22 hypothecæ scilicet legalis, quæ tacita vulgò dicitur, ad differentiam expressæ sub qua conventionalis explicatur. C.

Quamvis enim in concursu legatariorum, & creditorum
23 ipsius disponentis, hoc privilegium nullius operationis videatur, cum semper creditores, ut potè causam onerosam foventes, quamvis chirographarij tantum, vincant legatarios.

Atque in alio concursu legatariorum, & creditorum
24 hæredis, quamvis expressam, vel tacitam hypothecam habentium, potior sit legatariorum conditio in bonis defuncti ex beneficio separationis bonorum, quod ab eadem antiqua lege conceditur priusquam à moderna hoc privilegium tribueretur. D.

Adhuc tamen proficuum, nimiumque operativum est,
ut legatarius suas exercere valeat actiones contra tertios bonorum possessores, in quos ex
25 fraudem, ex onerosa, & correspectiva causa translata sint, cum cessante hypothecæ beneficio, sola personalis actio non de facili remaneat experibilis

S. hoc tit. disc. 1. & 2.

T. ibidem proxime.

V. hoc tit. disc. 10.

X. tit. de servit. pluries.

Y. hoc tit. disc. 39. & de servit. disc. 50. cū duob. seqq.

Z. hoc tit. disc. 31. & de servit. disc. 55.

A. sub tit. de servit. disc. 65. & 66.

B. Locis supræ citatis.

C. hoc tit. disc. 37. & 49. & de credito disc. 7. & in alijs.

D. tit. de credito disc. 27. & defend. disc. 78.

contra tertium, quoties illud non intret collatum, quod ad fraudes tollendas à lege prodijt E; Sive, si emptum à faciliori præscriptione, alijque limitationibus, ex quibus beneficium separationis bonorum inutile remanere solet.

Quæstione cadente, an pro ijs legatis, quorum fructuum, vel annualium accessionum cum tractu successivo productiva sit, non solum pro sorte, sed etiam pro fructibus, vel annuatibus decursis, bona testantis eidem hypothecæ subjaceant, cum potioritate, ita per testatorem bonorum adversus creditores hæredis, vel legatios, in quos ex præfato particulari titulo dominij translativo, bona distracta sint.

Licet autem id aliquam opinionum varietatem habeat; Verius tamen, ab ea distinctione determinationem recipit, ut attendendum sit, an ipse accessiones, vel annualitates, ita per testatorem mandatae sint, ut ipsius legatum continentem, de ijs bonis implendum; Vel potius id in iunctum sit hæredi, qui ex bonorum fructibus impletur debet, ut primo casu, bona defuncti affecta sint, quæ hæreditas debetrix existat; Secus autem in altero. F.

Ex hoc autem legali privilegio resultat, ut inutile non sit legatum, quod debitor creditori facit de eo quod debet, cum ita proficuum resultet effectus istius hypothecæ, seu processus executionis, alias non cõpetentis; Ut præsertim praxis frequentior docet in legato, quod pars liberis facit legitimæ, vel dotis congruæ, seu de parago, cū verus sit pro uno, vel altero legali debito hypothecam à lege tributam non esse, illa verò ex legato resultare. G.

Super processu exequutivo, an pro legatis competat, in jure non est expressè decisum, ideoque variaz desuper habentur opiniones, quarum negativæ Rota Romana, ob quamdam antiquitatis reverentiam, tenet; Alia verò Romanz Curiz Tribunalis, magisque communiter illa aliarum ditionum, affirmativam, verè probabiliosem, sequuntur, pro viâ exequutivæ competentia. H.

Cum ea tamen moderatione, ut contra hæredem in eodem testamento scriptum, id procedat, cum eidem facultas non detur sui auctoris factum impugnare, ejuisque respectu, res iudicata sit, atque probatio probata, illa dispositio, ex qua ipse suum jus metitur; Secus autem, ubi de intestato hæredem agatur, qui rescisso, vel annullato testamento ex capite in officio sitatis, vel ex alio defectu, qui in legato non influat, ad eorum implementum adhuc tenentur.

Sive ubi de eodem testamento agatur, qui defectu sui auctoris factum non impugnet, sed aliam justam habeat causam, seu probabilem dubitationem, denegandi legati solutione, quia nempe interpretacionis, vel comprehensivis, aut non impleta conditionis, sive caducationis, vel incapacitatis, vel insufficientiæ quælitio cadat, super qua laudicis determinatione proderit, à qua potius, quàm à iudicio defuncti hæres credat se gravatum, ideoque appellat. I.

Fructuum, vel accessionum quæstiones, inter hæredes, & legatarios frequenter foras audit, cum consueta opinionum diverfitate.

E. tit. de feud. disc. 78. & sub dicto tit. de credit. pluries.

F. hoc tit. disc. 37. & 49.

G. dicto tit. de feud. disc. 78.

H. hoc tit. disc. 6.

I. eodem disc. 6. hoc tit.

Ula tamen probabilior distinctio est, ex qua decisio pendet, inter legata, quæ de specie sunt, ac alia quantitatis, ut primo casu; fructus ab instanti mortis testatoris, tanquam sequela domini, ad legatarium pertinent, tanquam dominum [cui proinde rei vindicationis actionem lex concedit]; Nisi ea in hærede, vel in alio possessore concurrat bona, vel media fides, quæ à præceptorum, & consumptorum restitutione excuset.

In altero autem casu, in quo de legato quantitatis agatur, [præsupposita mora regulari, vel irregulari, sine qua, interesse, vel usurarum obligatio non datur], lex civilis, favore pupilli, vel pæ causæ seu alterius privilegiatæ personæ, vel causæ, accessionum, vel usurarum cursum concedit.

Contrarium verò lex canonica statuit, cui propterea in hac usuraria materia, lex civilis ubique in laicali etiam foro cedere debet, ut aliud interesse non debeat, nisi illud, quod suadeat ratio lucri cessantis, vel damni emergentis, vel altera non impleti mandati, quod per testatorem hæredi sit in iunctum, ut in usurarum sede advertitur.

Quinimò, ut neque ipsius testantis lex, vel ordinatio huiusmodi accessiones licitas reddere valeat; Nisi ubi prohibita interim facultate legatario, sortem principalem petendi, ipsæ accessiones, in legatum deductæ dici valeant; Secus autem, ubi legatum peti potest, ejusque actio sit experibilis. L.

A debitore creditori legatum, quod factum sit, an compensandi cum debito præsumptionem habeat, vel potius utrumque debitum sit, sub frequentiori quæstione cadit; Ea verò illam genericam recipit distinctionem inter debitum necessarium, & voluntarium, ut in prima specie, compensandi præsumptio cadat, non autem in altera; Nisi contrarie voluntatis expressæ, vel præsumptæ probatio accedat, in cuius casu, tam una, quam altera pars distinctionis cessat, cum legis præsumptiones, ac regulæ, testantis voluntati perpetuò cedant; Ideoque certa desuper statui non potest regula, cum à facti speciali qualitate pendeat, quando probationes, vel præsumptiones, & argumenta concludant, necnè.

Necessaria verò causa, ea est, quæ citrà voluntarium factum hominis, à legis obligatione manet, secus autem, ubi necessitas à voluntate initium trahat, cum tunc voluntaria censenda veniat; Quæstione cadente in lucris dotalitibus, quæ, etiam absque expressa partium conventionione, ex Statutis, ac legibus municipalibus manent an scilicet, necessariam, id est legalem, vel potius voluntariam, id est conventionalem causam redoleant, jure implicitæ voluntatis à lege municipali subintellectæ; Idque opinionum varietatem habet; Ea verò in Romana Curia recepta videtur, quæ voluntariæ causæ id refert, ideoque compensationem excludit; Alibi verò diversa retinetur opinio, ideoque cum ea procedendum est, quæ in loco recepta sit. M.

III.

De legatorum diminutione, seu contributo, quando hereditas omnibus idonea non sit; Ac de falcidia detractio; Et de ademptione, vel alia cessatione, seu caducatione, vel caducitate.

Duplici ex causa, legata diminutionem pati solent, adeo ut in parte illorum sequatur implementum, Vel quia hereditas, detractio ære alieno,

L. de hac materia fructuum, vel usurarum legati sub tit. de usur. disc. 29. cum duobus seqq.

M. de hac materia compensationis legati cum debito, vel lucro hoc tit. disc. 15. & tit. de dote disc. 99. & 120., ac etiam sub tit. de credito.

seu legitima filiorum, omnibus legatis idonea non sit, quamvis falcidia detractio non intret, Vel quia hæc detractio eandem causet diminutionem.

Rarus autem est hujus posterioris detractiois casus, cum penè pro communi stylo, hæc detractio soleat expressè prohiberi; Quinimò, etiam tacitè & conjecturaliter ista prohibitio admittatur, quavis leves essent conjecturæ, ob præmissam frequentiore consuetudinem, ac etiam ob novissimam introductionem beneficij inventarij, ob quam cessasse videtur ea ratio, quæ hujus detractiois causa fuit. N.

Sive quia, pro frequentiori usu, legata concipi solent favore pæ causæ, quæ ab hac detractioe exempta est; Cadente quæstione, an hoc privilegiu, adversus aliam æquè privilegiatam piam causam locum habeat, quod varias habet opiniones; Probabilius autem videtur, ut privilegium quoque intret. O. Adhuc tamen quandoque, præmissis, vel similibus limitationibus cessantibus, hæc detractio legatorum diminutionem producit.

Sive igitur, uno, sive altero modo, integrum omnium legatorum implementum sequi non valeat; Regula est, ut omnes per contributum, seu per æs & libram, ac pro rata, juxta arithmeticam computationem, talem diminutionem pati debeant; Nisi ex disponentis voluntate aliqua legata exempta sint ab hoc contributo.

In hoc itaque, ubi expressa sit voluntas nulla cadit quæstio, cum ista non sit juris, sed facti, ac voluntatis; Cadentibus quæstionibus quando id, ex conjecturata, seu præsumpta voluntate deduci prætentatur, quod certam non recipit regulam generalem cuiusque casui applicabilem, cum juxta generalem omnium conjecturalium quæstionum naturam, in singulis casibus, ex eorù individuis circumstantijs decisio pendeat; Potissimè verò, ubi legatum non omninò voluntariam, sed necessariam, vel quasi, causam habeat; Quia nempe ad conscientie exonerationem; Sive ad antidoralem remunerandi obligationem, aliamve causam, quæ aliquam habeat specialem rationem, legatum referri valeat, discretè ab alijs, quæ affectionis voluntarium habeant motivum; Sive ubi ratio sanguinis, vel alia, specialitatem aliquam inducat.

Quæstione cadente, an generaliter pia causa in concursu prophanæ hanc habeat specialitatem, vel potius æquale contributum inter pia, & prophana legata intret; Idque varias habet opiniones, diversasque recipit distinctiones in propria sede recensitas, non de facili sub compendio explicabiles.

Alia etiam quæstione inter æquè pia, vel æquè prophana legata cadente, ubi diversa sit legatorum conditio, seu qualitas, quia nempe alia sint specierum, alia verò quantitatis, quod pariter varias habet opiniones, diversasque recipit distinctiones, à quibus decisio pendet; Adhuc tamen verisimilis, vel aliàs conjecturata voluntas, totum facit. P.

Ademptionis item, vel reformationis quæstiones frequenter cadunt certam non recipientes regulam, nisi eam, ut in dubio præsumenda non sint, omnique pro earum exclusionem capi debeat interpretatio; In reliquis etenim, totum est facti, ac voluntatis, ex facti qualitate decidendum. Q.

Ubi

N. tit. de legitim. & detract. disc. 32. & 34. O. eod. disc. 34. de detractio.

P. de his omnibus in materia contributi hoc tit. disc. 35.

Q. de hac materia ademptionis hoc tit. disc. 32. & disc. 49. cum seqq.

Ubi verò geminata ejusdem testatoris dispositio accedat ergà eundem legatarium, frequentiores cadunt quæstiones, an scilicet posterior, prioris ademptiva, seu impletiva, vel potiùs accumulativa sit, adeò utrumque legatum debeat; Sive ubi disponens, qui supervivat, ergà legatarium alium per actum inter vivos liberalitatis, ac benevolentie actum exercent, illumque finem impleat, ad quem ultima voluntas directà sit.

Super his autem, ac similibus, pariter certa compendiosa regula statui non potest, cum totum pendeat à singulorum casuum circumstantijs, ex quibus verisimilis voluntatis probationes, vel argumeta resultent. Licet enim aliqua generales desuper habeantur propositiones, an in unica, vel diversa scriptura dispositiones contineantur; Sive an prior benevolentie augmentum vel decrementum intermedio tempore receperit, Aut an utraq; eandem habeat expressam, vel saltè implicitam causam, vel rationem; Vel an id, quod in utraque continetur, sit reiterabile, atque multiplicationem admitat; Attamen istæ, similesque generalitates, bene operative sunt, ubi voluntas omninò incerta sit, undè propterea, facti adjutorio cessante, cum regulis, ac præsumptionibus juris, quæstionem decidere oporteat; Sive ubi argumentis, & conjecturis hinc inde colluctantibus, quæstio sit de preponderantia, cui regularum juris assistentia magnum præbet pondus, vel fomentum. R.

Caduci quoque, & caducitatis quæstiones cadunt, Notabili tamen differentia inter unum casum, & alterum cadente, ad effectum substitutionum, & an ea, quæ in legato continentur, ab hereditate avulsâ censeantur, vel potiùs adhuc in ea existant; In casu etenim caducationis ista posterior pars verificatur, secus autem in casu caducitatis, quæ præcedentem supponit acquisitionem, quam caducatio negat, ac si legatum factum non esset, ob longam diversitatem effectuum, ex una, vel altera specie resultantium, ut magis distinctè in sua sede advertitur. S.

Ad id autem dignoscendum, eadem in legatis distinctio intrat, quæ in fideicommissis, alijsque universalibus, etiam directis dispositionibus habetur, an scilicet modalis, vel conditionalis dispositio sit; Ubi etenim de conditionali agatur, quæ à conditionis purificatione perfectionem, ac essentiam recipiat, adeò ut acquisitione impediatur, ejusque principio se opponat, conditionis defectus, vel non implementum, sive culposum sit, vel casuale nil refert, ideoque caducationem causat; Ubi verò modalis, adeò ut juris jam quæsitæ amissionem, seu privationem importet, cum speciem pœnæ id redeat, culposa contraventio requiritur, ut locus fiat caducitati, cujus terminus intrat; Ideoque ad restitutionis integritatem, vel alicujus excusationis præsidium confugere conceditur, quod priori casu negatur. T.

Ad plures alios effectus ista distinctio quoque nunquam confert; Potissimè verò, ubi de ijs conditionibus agatur, quas lex reprobat, atque pro non scriptis haberi mandat, ut [exempli gratia] sunt illæ, quæ viduitatem inducant, sive libertatis matrimonij, aut electionis vite religiose præjudicium contineant, cū facilius in casu, quo resolutivæ sint,

quàm in altero quo sint suspensivæ, rejiciantur, ac vincuntur, in altero autem vivunt; Ob eam notabilem differentiam, quæ inter juris quæsitæ amissionem, & querendi impedimentum dignoscitur. V.

Alter effectus est retractionis, pro restitutione scilicet fructuum, seu totius emolumentum, quod interim perceptum sit, ut in casu conditionis intret, secus verò in casu modi, ut frequens disputandi occasio potissimum præbet in ijs legatis, alijsque dispositionibus, quæ sub viduitate percepto uxoris sunt, sive admittat, in alijs, quibus eadem ratio congruat.

Majores itaque desuper, facti, seu applicationis, esse solent quæstiones, quando scilicet, in uno, vel altero casu esse dicamur, quoties non omninò clara, & expressa sit voluntas, quæ omnes dicuntur quæstiones.

Quamvis autem desuper magna dignoscatur sensuum, sive opinionum varietas; Perique grammaticæ hibus verborum, vel clausularum, ac dictionum sensibus, vel legalibus significationibus principaliter inhaerentibus, idcirco nimirum quodque laborantibus super gerundiorum, ac participiorum resolutionibus, cum similibus frigiditatis, ac ineptijs.

Verius tamen est, ut rei veritas, vel substantia voluntatis attendi debeat, an. Implementum, acquisitionis initio se opponat, illudque impediatur, vel suspendatur, sive lex ob disponentis voluntatem, suspendatur, vel impeditum cum retractione fingatur. Vel potiùs idem implementum acquisitionis subsequi debeat, illamque supponat velut necessarium antecedens, adeò ut juris jam quæsitæ contraventio, pœnalem amissionem, seu privationem causet. X.

Cumque tempus, vel casus, ad duplicem effectum adijci soleat; Vel scilicet, ut substantiam dispositionis percutiat, ideoque interim, quoad ejus purificationem sequitur, perfectionem impediatur, atque conditionem facere dicatur; Vel solam executionem, ejusque dilationem, ipso actu ab initio puro, ac perfecto existente; Hinc propterea, involuta pariter quæstio est, an & quando mortis, vel ætatis, seu nuptiarum tempus, alteriusve casus purificatio, conditionem faciat, necne, quod ex varijs distinctioibus, non de facili sub compendio explicabilibus, decisionem recipit, ideoque in sua sede quoque videndum est. Y.

Atque hinc, transmissionis, vel respectivæ caducationis, alter effectus resultat, ut in casu quo substantiam percutiat, atque conditionem faciat, non legatarij, quæ ante conditionis purificationem sequatur, transmissionem impediatur, atque caducationem inducat, nisi testantis voluntas aliud sua deat, secus autem, ubi dilationem solùm, vel executionem concernat. Z.

Generaliter item lege fideicommissis particulis legata exaquant; Hinc ea, quæ in fideicommissorum sede super vulgari, vel fideicommissaria, aliave substitutionum specie, vel super caducitate, seu caducatione habentur, legatis quoque congruant. A.

Amissionem quoque legatorum, lex, in pœnam temeritatis induxit eorum, qui propria sibi auctoritate jus dicunt, bonaque legata capiunt, cum illa ab hæredis manu capi debeant; Nisi testator hanc

R. de his omnibus, & an secunda dispositio sit ademptiva, vel impletiva hoc tit. disc. 49. cū plur. seqq.

S. hoc tit. disc. 29. & 30.

T. hoc tit. disc. 43. & 58. sub tit. de testam. disc. 73. & sub tit. de fideic. disc. 154.

V. locis proximè citatis.

X. locis proximè cit. & præsertim disc. 154. de fideicommissis.

Y. hoc tit. disc. 358. & seqq. & disc. 73. de testam.

Z. ibidem.

A. sub tit. de fideicommissis.

hanc tribuerit licentiam; Si uero legatarius absque uirtio in rei legata possessione sit, ex alio titulo, quem sibi mutet, quod etiam absque expressa declaratione factum esse, lex præsumit; Aut quod, Ecclesia, uel pia cause favor eandem tribuat licentiam; Seu quod certa detractorum incompetencia, uel canonica æquitas, inanem non permittat circuitum; Adhuc tamen, his, uel similibus limitationibus cessantibus, uictiosa quidem reputatur possessio, ut legatarium non faciat hæredi legitimum contradicteorem, non autem, ut hanc pœnam incurrat, raro, uel nunquam ad praxim redigi solitam, cum quilibet causa pœnam excuset. B.

Diminutionis legati questiones quoque inter hæredem, & legatarium oriri solent, quamuis hæreditas idonea sit, neque detractio, legatorum integro implemento impedimentum præstent; Ubi scilicet de legatis agatur specierum, quæ censibus, alijsque oneribus subiecta sint, quæ illarum ualorem, siue utilitatem minuant, an ad hæredem, uel ad legatarium spectent; Idque [cessante testatoris uoluntate, cui semper deferendum est] ex oneris qualitate recipit determinationem; Ubi etenim merè reale sit, ut in canonibus, ac livellis, uel censibus reservatis, alijsque uerè realibus responsionibus, id uerificari dicitur, planum est legatarij onus esse; Et è conuerso, planum est onus esse hæredis, ubi de simplicibus hypothecis generalibus, uel specialibus ab ipso testatore contractis agatur, pro debito generis, uel quantitatatis; C [Ubi etenim pro hypothecis à tertio rei legate priori domino molestias legatarius recipiat, euitiois questionem potius id percutit; nisi legatū sit uniuersitatis, quæ tam actiua, quam passiva iura secum trahat, cum tunc ad legatarium, non autem ad hæredem onera pertineant. D.

Tunc itaque juris dubietas cadit, quando de illo mixto agatur onere, quod ex consignatiuo censu resultare dicitur, quia nempe pro pecunia ad Apostolicarum Constitutionum præscriptum super eare tanquam fundo, census sit constitutus; Atque ubi, non ab ipso testatore onus adiectum sit, sed à tertio, quod in testatorem translatum sit causatiue, ipsius scilicet rei occasione, adeo ut, causatiuum, uel occasionale onus dici ualeat, uerius est, ut ad legatarium pertineat, quasi quod testator id, quod sibi competat, seu eo modo, quo ipse rem possidet in legatarium transferre uoluerit; Si uero ab ipsomet, uel ab alio, cuius personam uniuersali hæreditario iure ipse representet, impositio facta sit, opinio non modica scissura cernitur; Ea uero probabilior uidetur, quæ hæredi potius, quam legatario onus deferret, nisi diuersæ uoluntatis argumenta, quæ ex ipsius rei, ac respectiue oneris qualitate præsertim deriuent, aliud suadeant. E.

Euitio legatorum, regulariter non præstatur, nisi testantis uoluntas aliud suadeat, siue onerosam, atque respectiue causam habeat, pro qualitate facti, cuius potius, quam juris est questio, pro facti qualitate decidenda. F.

An proprium item, uel alienum legatum sit, sub quaestione cadere solet, adeo ut legatario, ad hæreditaria testantis bona non competat actio, quia nempe, in alienæ uoluntatis executionem, ita legatum conceptum sit, ut alterius potius quam i-

psius testantis legatum dicendum ueniat, idque ex facti qualitate, ac circumstantijs determinationem recipit. G.

Per uoluntariam autem rei legatæ alienationem, siue per necessariam, cuius pretium in aliam rem erogatum sit, an ademptio resculet, uel potius alterius rei subrogatio, quaestio est, quæ pariter certam non recipit regulam, cum à facti qualitate uerius decisio manet; Quamuis enim aliquæ desuper habeantur generales regulæ, uel propositiones, illæ tamen pro norma potius deserviunt, ut dispositionis uoluntas desumatur, ut in sua sede aduertitur. H.

Contributi quaestio, inter hæredem, & legatarium quæ bonorum, cadere solet, super aliorum legatorum, ac onerum implemento, an scilicet æqualis eorum concursus esse debeat, uel potius totū sit hæredis onus, quod varias habet opiniones; Probabilior autem uidetur ea, quæ utrumque obligat, nisi argumenta accedant, quæ diuersam arguant uoluntatem, quæ totum facit. I.

An autem cessante legandi causa, legatum cesset, quia nempe tutori, uel curatori, seu educatori factū sit, uarias recipit distinctiones, atque facti, & uoluntatis quaestio est, ex facti circumstantijs decidenda. I.

IV.

De legatis pijs, eorumque privilegijs, Et de legatariorum capacitate, uel incapacitate, seu indignitate, Et de facultatibus executorum, siue illorum, qui sint de iure executores, ut sunt Episcopus, uel Fabrica Sancti Petri, & de istius facultatibus.

EA omnia, quæ prophanis legatis favorabilia sunt, pijs congruere quoties legatarij incapacitas non obstat, de iure non dubitatur, cum à minus favorabilibus, minusque privilegiatis, ad favorabiliora, magisque privilegiata, favore argumentū intret, non autem odiosum; Ideoque super ijs cadunt quaestiones, quæ prophanis, uel temporalibus legatis, per legem denegata, pijs, ex speciali favore, uel privilegio, competere contendunt.

Duplex itaque defectus, uel imperfectio, in legatis, alijsque ultimis uoluntatibus dignosci solet, uoluntatis scilicet, ac solemnitatis; In ijs itaque uoluntatis defectum respicientibus, [quidquid aliqui male opinentur] nullus est pia causa favor; In eo solum considerabilis, ut eisdem integra, ac ualida, sed ambigua uoluntatis interpretatio, magis lata, benignaque fiat interpretatio, quam in prophanis faciendæ esset, quoniam defectus est naturæ, cui legis positivæ privilegia non dispensant, ut generaliter in testamentorum, aliarumque ultimarum uoluntatum sede, occasione legatorum quoque aduertitur. L.

In alijs autem, quæ juris positivi solemnitates percipiunt, iste favor nimium operatiuus est, omniaque supplet ab eodem positivo iure manantia, cum sola naturalis ueritas, uel probatio attendenda ueniat. M.

Idemque generaliter in ijs omnibus, quæ ab eodem iure positivo, ex eius auctoritate, non autem pro diuini, uel naturalis juris obseruantia, uel declaratione manant, dicendum est; Puta circa

B. de heretiam sub tit. de fideicom. & sub tit. de iudic. ad materiam legitimi contradicteoris.

C. hoc tit. disc. 38.

D. eod. disc. 38.

E. dicto disc. 38. & sub tit. de censib. disc. 18.

F. hoc tit. disc. 7.

G. hoc tit. disc. 57.

H. hoc tit. disc. 48. & 55.

I. hoc tit. disc. 52.

I. hoc tit. disc. 22. & 23. & de seruit. disc. 50. & 52.

L. sub tit. de testamen. pluris.

M. ibidem proxime.

ca ea, quæ patriæ potestatis defectum, vel inofficio-
si querelam, seu verborum vim, ac operationem
concernant, cum similibus. N.

Qualia verò singulariter sint privilegia, vel effe-
ctus, qui ex hac generica theoricâ resultant, com-
pendio incongruum est recensere, cum formalem
71 exigat, ac particularem tractationem, ab alijs jam
peractam; Potissimè quia non legatis tantum, sed
etiam directis, ac obliquis dispositionibus univer-
salibus, alijsque dispositionibus ea communia
sunt; Atque ex hac generica theoricâ, seu distin-
ctione vir sensatus, omnium singularium privile-
giorum competentiam rectè comperiet.

Legatarij verò incapacitas, pijs etiam, quamvis
alijs validas, ac perfectas dispositiones, inutiles
72 quandoque reddit, quia nempe, de illis agatur Re-
ligionibus, vel Religiosis, in quibus, ob arctum
paupertatis institutum, tam in particulari, quam in
communi, acquirendi, ac retinendi incapacitas ac-
cedat; Tunc etenim, dato substituto, vel alia favo-
re hæredis dispositione accedente, quatenus præci-
sum legati implementum non sequatur, inutile re-
manet legatum, atque pro non scripto habendum
est, ex legatarij defectu; Eo modo quo illud reman-
net legatum, quod personæ in rerum natura non
existenti, vel ante testatorem defunctæ, fiat.

Ubi verò nullus detur substitutus, nullaque aliâ
favore hæredis accedat dispositio; Cum piæ dispo-
sitiones, ad Deum, vel propriam animam primariò
73 directæ censeantur, unum verò, vel alterum pi-
um opus, demonstrativè, atque pro modo exequendi
adjectum dicatur; Hinc proinde, per loci Episco-
pum, utpotè piarum dispositionum legalem exe-
quutorem, alijs pijs operibus, [non autem sibi, nec
suis] eadem piâ dispositio applicabitur. O.

Per Apostolicas autem Constitutiones, in ali-
quibus præsertim Italiæ partibus, vel Ditionibus,
cumulative cum Episcopo, istoque non benè præ-
74 veniente, Fabrica S. Petri has explet partes exequu-
toris, sibi ipsi etiam, ad earumdem Constitutio-
num, aliarumque ejus auctoritatum normam, in
toto, vel in parte applicando id, quod juxta testan-
tis desiderium applicari non potest; Vel quia lega-
tarij incapacitas id prohibeat; Vel quia ejusdem
incertitudo id impediât; Vel quia ad opus volitum
non sufficiat. P.

Aliorum verò, quæ particularium exequutorum

N. *ibidem proxime.*

O. *de testam. disc. 24. & in alijs.*

P. *tit. de fideicom. disc. 108. de testamen. disc. 22.
& 23.*

ab eodem testante destinatum, ac Episcoporum,
& Fabricæ potestatem concernant, aliqua compen-
diosa mentio in testamentorum sede habetur, cum
eadem sit generica ratio, ac potestas. Q.

Non semper tamen, Religiosorum, ac Religio-
num præfatum arctum paupertatis concernant, aliqua in
communi profitentium, in capacitas viget, etiam in-
legata assequendi, vel retinendi, cum in alijs, ac re-
74 tentionem perpetuam ad redditum, non autem ad
sequutionem pro erogatione in quocumque usum,
ea percutiat; Sive in ijs etiam, quæ omnimodum as-
sequendi incapacitatem habeant, ea solum viget,
ubi ipsorum Religiosorum provisionem dispo-
sitiono concernat, adeo ut diurnæ mendicitæ ex
quæstione id adverteatur; Secus autem ubi, Ec-
clesiæ, vel Conventus fabricam, & ornamenta, sive
sacristiæ sacram suppellectilem, aut infirmitatis,
vel librariæ usum concernat, ut in Regularium sede
adverteatur. R.

Aliæ quoque, in legatis, alijsque ultimis volun-
tatibus incapacitates legatariorum, sive patris, 77
testabilitates in jure habentur, quarum aliqua in
testamentorum sede habentur; Et præsertim quæ
in spurijs, potissimè verò in ijs, quæ de immo-
coitu progeniti sunt, dignoscuntur, sicut id, quod
alimentorum obligatio exigat. S.

Quamvis etenim plures, legatorum, aliarumque
dispositionum indignos lex reputet, ut sunt testato-
ris occisor, vel qui aliàs cum gravi injuria ac-
78 cerit, ac similes; T. Attamen non semper id im-
portat incapacitatem, cum indignitatem, quando-
que causet; Ut etiam in testamenti impugnatione
habetur. V.

Nimium autem refert, an incapax, vel indignus
quis existat, cum incapacis respectu, inutile remaneat
legatum, atque pro non scripto habendum sit,
perinde ac, si factum non esset, ideoque bona per-
jus non decessendi, in hæreditate remanent, vel id
substitutum deferuntur, qui propterea ex secundo,
primus efficitur; Indignus autem acquirit, sed ab
eo, quod jam quæsitum est, sibi auferit. X.

De alijs verò, de quibus in praxi tractare oc-
cursio non præbuit, apud suas sedes, qui cupit, per-
quirat, cum non totius materiæ per speciem abso-
lutz tractationis, sed eorum, de quibus agere con-
tingit, compendiosam insinuationem, isti labori
contineant.

Q. *tit. de testamen. disc. 68.*

R. *sub tit. de Regular. disc. 55.*

S. *sub tit. de testam. disc. 52. & seq. & 74.*

T. *dicto tit. de testam. disc. 55.*

V. *hoc tit. disc. 24. & d. disc. 55. de testam.*

X. *tit. de Regal. ad materiam consecrationis disc. 10.*